DE FEBRE FLAVA TROPICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XV. M. IULII A. MDCCCXXII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRID. CHRISTOPH. BARTHOLOMAEI
HANSEATO - BREMANUS.

OPPONENTIBUS:
RIEMANN MED. DR.
SCHÜTTE MED. DR.
CARGANICO MED. DR.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

INDLYTAE

REIPUBLICAE BREMENSIS

CIVITATIS LIBERAE

MAGNIEICO SENATUI

AC PERILUSTRI,

PRAESERTIM

VIRIS

MAGNIFICIS, PERILLUSTRIBUS, ILLUSTRIBUS,
CONSULTISSIMIS

PRAESIDI,

CONSULIBUS,

SYNDICIS,

PATRIAE PATRIBUS OPTIMIS,

IUSTITIAE ARBITRIS

LONGE MERITISSIMIS, GRAVISSIMIS

PATRONIS AMPLISSIMIS

HASCE PRIMITIAS ACADEMICAS

SUMMA CUM OBSERVANTIA

DAT, DICAT, CONSECRAT,

SE RESQUE SUAS MELIORI COMMENDAT

AUCTOR.

§. 1.

Denominatio.

Febris flava tropica s. Americana, das gelbe Fieber, morbus a me pertractandus, nominari consuevit ob flavum cutis colorem, qui fere constantissimum eius symptoma exhibet, nec non regionem, quam cui primam debet originem, quamque per longam annorum seriem, ad hodiernum usque diem summa cum saevitia devastavit. Typhus icterodes nominatur, quia indolem prae se fert typhosam et quia cutis color icterico similis est; morbus Siamensis, pestis Siamaea, quia morbus hic, teste Labat, monacho, nave l'oriflamme insulae Martinique illatus est, quae navis ex Siam redux, in littoribus Brasiliensibus ancoras figens, morbum ibi diffudit. Hocce autem assertum falsum esse, partim ex eo elucescit, quod nulla in chorographiis regni Siamensis mentio fit febris flavae tropicae, partim ex ipsa hac dissertatione, quae, quam absurda sit eorum sententia docebit, qui febrem flavam ab exteris illatam esse censeant. —

Fièvre jaune Franco-Gallis plerumque dicitur febris flava, sed haud raro etiam fièvre matelote denominatur; ea forsan de causa, quia nonnullis in epidemiis morbus navibus fere limitabatur, aut quia advenarum maxima pars, quibus morbus prae aliis est infestus, nautae erant. Hispani vomito prieto morbum nominare consuerunt, quia materia vomitu ejecta, atro colore tincta est; Carthagine nova autem Chapetonados vocatur, Chapetone enim advenae Europaei appellantur. Britanni yellow fever; Itali febbre giala morbum nostrum nuncupare solent.

§. 2.

Historia.

Nemo veterum auctorum memoriae prodidit, ex quibus cum evidentia conjicere liceret, febrem flavam tropicam aliumve morbum ei congruum, unquam devastasse aliquam orbis veteris, qui dicitur, regionem. Nihilominus recentioris aevi auctores Hippocratis aphorismorum quosdam allegarunt, e quibus patere arbitrabantur, hunnce medicinae patrem morbum nostrum novisse. Ita Pouppe-Deportes sequentes profert aphorismos: Sect. 4. aph. 22, 23, 62 et 64. „Morbis quibusvis incipientibus, si bilis atra, vel sursum, vel deorsum prodierit, lethale.“ — „Quibuscumque ex morbis acutis, aut ex diuturnis bilis atra, vel qualiscunque sanguis niger prodieret, postridie moriuntur.“ — „Quibus in febre morbus regius suvervenit ante septimum diem, malum est (nisi conflu-

xus per alvum fiant.)“ — „Quibus in febre septima, aut nona, aut undecima, aut decima quarta morbus regius supervenit, bonum est.“ Quibus ex animadversionibus auctor ille Hippocrati febrem flavam innotuisse probare voluit, quae, licet consentaneae sint illis febribus, quas penitius ventilavit Hippocrates, ad febrem flavam tropicam haud prorsus sunt referendae, quod quidem infra his ex pagellis elucescet. Alii scriptores Causum veterum hac febre flava comprehendi censent, sed huic etiam sententiae percensendae aliquanto inferius operam navabo.

Sub finem tandem saeculi decimi quinti, cum auri fames ad regiones remotas perpulisset Europaeos, terribilem cognoverunt morbum, cuius malignitati nunc primum succubuerunt: attamen conjiciendum modo, neutiquam autem affirmandum est, morbum illum febrem flavam fuisse.

Anno 1492, pridie ante Nonas Augusti Christophorus Columbus primum vela ventis dabat, ut conata perficeret, quae nomen suum aeternitati tradiderunt. Quarto ante Idus Octobris novi orbis, qui dicitur, detexit insulas, a quibus discessit decimo septimo ante Calendas Februarii et quarto ante Nonas Martii Lissabonam rediit. Hac in expeditione nihil nostro morbo simile observatum est; anni enim tempus haud ejusmodi fuit, ut morbi origine faveret. Septimo ante Calendas Octobris, anno 1493, secundam suscepit expeditionem, et itinere quadraginta dierum confecto, insulas detexit Dominique et Guadeloupe. Mense Decembri ancoras fixit in portu quodam littoris sep-

temtrionalis insulae St. Domingo, haud procul a Monte-Christo, et 1500 Hispanos in terra exposuit, qui urbem condiderunt Isabella nominatam. Haec vero urbs in planitie condebatur prope fluminis ripas, in maris sinum influentis. 1)

Situs urbis et aestus mox increscens, alimentorum aptorum penuria, et graves labores effecerunt, ut perniciosus erumperet morbus, de quo Oviedo: — Exstinguebantur, inquit, morbo, qui faciei impressit auri colorem, cuius fames perpulit eos in regiones illas remotas. Si sese remiserat morbi vis, infelices illi malis tenebantur insanabilibus, et pluribus eorum, qui reversi sunt in Hispaniam, facies mansit flava, crocea. 2)

Vera causa, quum explorari nequiret, ab omnibus derivabatur, quae in valetudinem hominum exserere valuerant. Columbus ipse, qui pariter hoc malo laboraverat, aquae acorem, aerisque asperitatem, tamquam causam accusavit.

Anno 1496 milites 300 jam perierant, neque aliud remedium morbi coercendi novit Columbus, quam ut aegrotos per pagos Indicos dispertiret. 400 Europaei, Herréra teste, in Panama exstincti sunt, ante quam Peru expugnaretur. 3) Idem auctor enarrat, maxi-

---

1) Antonio Herréra Historia general de los echos de los Castellanos in las Islas y Tierra firma del Mare Oceano. L. 2. c. 10.

2) Gonçalo Oviedo la Historia general de las Indias. L. 2. c. 13.

3) l. c. L. 1. c. 4.

mam excercitus partem hocce morbo esse subactam, quocum Davila Darien esset ingressus. Tot quotidie exstincti sunt, ut multi una tantum reconderentur fovea, quae si extoto repleta non erat, haut obtegebatur, quia persuasum sibi habebant, fore ut post aliquot horas fovea repleretur. Uno mense 700 homines animam exspirabant, lethargia fameque consumti. 1)

Morbum, huic exercitu perniciosum, haud diversum fuisse ab eo, qui Columbi copias absumserat, partim ex eo colligere licet, quod lethargia hoc etiam in casu symptoma morbi usitatum exstitit, et Columbus ipse laboraverat lethargia, quum gravi illo malo detinetur; sequentem enim Savarésy allegat locum ex l'histoire de l'Amerique par Robertson: Colomb lui même fut attaqué d'une fièvre violente, qui se termina par une lethargie dans laquelle il perdit la memoire et le sentiment est fut sur le point de perdre la vie. 2) Deinde etiam patet ex paucis illis, quae de eo profert Gomara: morbum, scilicet, consistere in mutatione coloris; aegroti enim flavi et croco quasi obtecti apparuerunt. 3) Idem affirmat Herréra. 4)

Unum ac dimidium fere fere saeculum, orbe novo detecto, praeterlapsum erat, nec ullus, praeter Hispa-

---

1) l. c. c. 14.

2) Savarésy de la fievre iaune en general etc. p. 103.

3) La Historia de las Indias par Francisco Lopez de Gomara P. I. L. 1. c. 2.

4) l. c. L. l. c. 2. dec. I.

nos, populus Europaeus sedes in Antillis figere tentavit. Anno 1635 primi milites Gallici appulerunt insulam Guadeloupe et eorum 550 sedes ibi posuerunt. Paulo post, ut Dutertre, monachus, enarrat, correpti sunt morbo, ab insulae incolis coup de barre nominato, cuius prima symptomata in vehementi capitis dolore, arteriarum temporalium pulsatione, crurum summa languore, tanquam ea loris caederentur, constiterunt 1) Idem auctor haec adiicit: malum quod coup de barre nuncupatur, nihil aliud est, nisi dolor, media crura tenens, qui impedit aegros, quominus sese moveant. Omnia haec sitis comitatur indomabilis. Bilis flava haud raro per totum corpus vagatur, dant animum melancholiae, moestitiaeque, quae mortem accelerant. 2)

Wilhelm Pison, medicus Batavus, in Brasilia anno 1643 observavit anthraces, febres putridas, aliasque, quas ita descripsit; „febres continuae ardentes, ex bile eruginosa ortae, et cum furore aliquando insurgentes, omnium saepissime, hic reperiuntur“ 3).

Nunc demum patet, morbum illum regiones tropicas cruciantem, febrem esse flavam; medici enim ac missionarii docti observaverunt eam seduloque descripserunt.

Primarium nunc et constantissimum fere symptoma, prioribus defuisse videtur epidemiis: vomitio sci-

---

1) Savarésy l. c. p. 106.

2) Id. l. c. p. 107.

3) Id. ibid.

licet materiae atrae, anno 1648 primum observata, quum huius morbi epidemia 20 menses in insula Gaudeloupe et 18 in iusula St. Christoph grassaretur. 1)

Num Indiae incolae febrem flavam ante Europaeorum adventum notuissent, nec ne, cum evidentia affirmari nequit, licet nonnulli medici Anglo-Americani docent, complures annos ante Angliam novam conditam, ineunte saeculo decimo septimo, plures hominum indigenarum stirpes, morbo populariter grassante, penitus fere deletas esse et corpora ante postve mortem flavuisse. 2) Raymond Breton, morbum hunc, inquit, utique notuerint homines barbari necesse est; appellaverunt scilicet eum ibomanhatina, quum qui eo corriperentur je poulicantina, i. e. virgis sese caedi, dicerent. Variae Caraiborum consuetudines a viatoribus in ridiculosis habitae et vesanae, ad devastationem morbi, ibi grassantis referendae sunt. Ita enarrat Rochefort: insulanos relinquere casas suas, sperantes, fore ut alibi salubriores reperiant. Si quis eorum moriebatur, emigraverunt casis, ne ipsi vita defungerentur, imo interdum flammis tradiderunt casas. Eadem de causa ab aegrotis recesserunt, etiamsi cognatione proxime iis juncti essent, et procul semper

---

1) Monographie historique et medicale de la fièvre iaune et etc. pr. Al. Moreau de Jonnés; in Archiv für medizinische Erfahrung u. s. w. von Horn Nasse und Henke. Jahrgang 1820. Septbr., Octbr. p. 250.

2) Savarésy l. c. p. 96.

ab iis abfuerunt. Et profert de Indianis Herréra: octavo quoque anno a domiciliis eos discedere, quippe quorum atmosphaera nimio aestu vitiata reddita, malignos excitet morbos. 1)

Haec fere sunt, quae ad hancce quaestionem spectantia proferre valeo, quae vero neutiquam sufficere videntur, ut nobis febrem flavam reapse illum fuisse morbum persuadeant, quem noverunt Indiani.

§. 3.

Symptomatologia.

Stadium primum.

Saepius desunt prodromi; iuvenes robusti, prospera valetudine gaudentes subito tantaque vi hocce morbo corripiuntur, ut fulgure tactorum instar, menti inscii, humum prosternantur et breve post temporis spatium animum exspirent. Sin praecedunt prodromi tum priusquam ipsa accessit febris lassitudinem corporis, inquietem, prostrationem virium aeger sentire solet; lingua ut plurimum albida, humida, ciborum fastidium, sapor amaricans, nausea, vomendi conamina, vertigo, capitis temulentia, horripilatio, aestu vero levique excepta urgent. Aliud vero mirum phaenomenon, a Laso primo observatum, fames sistit, quae saepius complures horas diutiusve ante febris accessum in hominibus, alioquin sobriis animadverti

1) Mor. de Jonnés l. c. p. 245, 248, 249.

dicitur, nec non in iis, qui convalescendi causa singularem vitae rationem persequuntur 1).

Quorum signorum singulis aut pluribus per brevius longiusve temporis spatium protractis, cum frigore, horrore, nec raro algore modo mitior, modo gravior febris incursat. Frigus hocce sequitur aestus, minus quidem vehemens tactu, etiamsi intus adeo urit, ut claros eiulatos edat aeger. Inter aestum febrilem ingentem anxietatem queritur aegrotus, irrequietus in lecto se volutat, saepiusque suspirat. Arteriae carotides aeque ac temporales vehementer micant, pulsus aut tam celer, ut ictus 100 — 110 intra sexagesimam horae partem numerare possis, aut suppressus est. Peculiare quidquam, quod in aliis febribus pulsui tribui nequit, in huius febris pulsu se observasse affirmat Savarésy: „c'est une petite sensation désagréable, difficile à être expliquée e consistant dans une fourmillement au-dessous de la peau.“ 2) Accedit spiritus difficultas, spiratio crebra, brevis. Facies, antea pallens, rubescit et audagetur turgor vitalis; pluribus autem in casibus vultus aegroti tam peculiarem refert speciem, ut varii auctores ex hac ipsa febris naturam se dignoscere asseverent; magnas vero anxietatis timorisque notas prae se fert vultus. Iam ineunte febre tunica coniunctiva bulbi tanquam suffusa apparet et rete quasi efformat, magis minusve densum; bulbus

1) Gerson und Julius Magazin der ausländischen Litteratur u. s. w. Bd. 1. Hft. 1. Hamb. 1821. p. 18.

2) Savarésy l. c. p. 270.

humidus, lucis splendorem perferre nequit; palpebrarum margo saepe lividam exhibet intumescentiam. Sub frigoris finem plerumque exorditur capitis dolor, frontem temporave occupans, qui ab aegrotis premens dicitur, sed nunc mitior, nunc atrocior prodit, ita ut vehemnntes querelas aeger emittat; maximam autem in orbita exercet vim, facile cum oculis communicatur, molestamque bulbi rotationem ad superiora lateraque efficit. Accedit insuper pungens in nasi radice dolor, praecipue si cephalagia atrocicissima torquet aegrotum. Haud minus queruntur aegri dolorem, inferioris dorsi lumborumque regionem, nec non artus, praecipue suras, perstringentem. Regionis epigastricae incitabilitas maxime est adaucta; quilibet enim tactus externus stomachi dolorem urentem et quasi excoriantem exasperat. Lingua nunc media obtecta, rubris marginibus humidisque, nunc media squalida, marginibus siccis ac rubris, nunc muco albido penitus oblimata, nunc flava apparet. Sapor oris pravus est vel amarus, ructus oriuntur amari; vomendi conatus et vomitus, quo cibi assumti, aut biliosa vel pituitosa colluvies, aut materiae prasinae, male olentes eiiciuntur. Osgood id peculiare huius febris esse iudicat, quod vomitu ipso nec diminuitur vomituritio nec stomachi oneratio, aestus aut sensibilitas; licet Waring saepius, imo post vomitum atrum, levamen adeoque veram omnium symptomatum observavit remissionem 1)

---

1) Osgood, über das gelbe Fieber; übersetzt und mit Anmerkungen versehen, von P. Heineken. p. 6.

Laso aegros vidit, qui inter vomitum vehementem quererentur veli palatini constrictionem, et aestum urentem, aut acidum acre, quod tanquam vapor aut humor quidam, inde a praecordiis usque ad posteriorem oris partem ascenderet, qui sensus, si ipse accessit vomitus, cum sapore etiam communicabatur, diutiusque verebat. Sin oriebantur vomendi tantummodo conatus, illius acidi ascensus descensusque frequentior eos male habuit exhaustosque miserum in modum cruciavit 1). Sitis nunc modica, nunc ardens; saepius stomachi sensibilitas ita est adaucta, ut potus, etsi blandissimus ac gratus vehementissimis contentionibus reiiciatur. Urina, quae in zona torrida saturatior secerni dicitur, quam in regionibus temperatis, et hoc in morbo plerumque parca, flava, rubra, badia, imo iumentosa, attamen sine sedimento apparet; interdum iam primo in stadio, saepius vero in sequentibus stranguria divexat. Cutis semper fere sicca, raro quidem madida. Hora sexta vero aut octavo post primum accessum, haud raro sudor copiosus partialis prorumpit, qui, pro aegroti habitu brevius longiusve temporis intervallum perdurat, ita ut in adultis parcior minusque diuturnus esse soleat. Aliis in aegrotis, praecipue qui tenuioris sunt indolis, et potissimum in foeminis, sudor partialis emanat capite, collo aut abdomine. Et menstruatio non raro, miras exhibet aberrationes; si enim effunditur per menstrua sanguis, dum instat morbus, corripitre mulierem, subito ille re-

1) Gerson und Julius l. c. p. 30.

percutitur et manare desinit; aliis contra morbo correptis, inopinanter menstrua proveniunt 1). Alvus iusto strictior, pertinaciter saepe obstipata, pharmacis laxantibus vix solvatur; raro quidem observantur sedes pituitosae aut biliosae, raro materia solidior per anum descendit; quae vero exit, colore succolatae insignitur. Perturbatio animi, moestitia, morositas semper fere hoc stadium comitantur; accedit saepe insomnia, e qua continua nascitur in lecto iactatio et morbi periculum augetur, aut status quidam comatosus una cum membrorum algore, intestinorumque ardore, quae morbi gravitatem portendunt.

Stadium secundum.

Incipit hocce stadium accedente ictero, qui primum flava scleroticae coloratione sese manifestans, mox serpit ad nasi alas, oris angulas, mentum, ad collum et pectus, manatque in dies latius, donec omne corpus flavo colore sit obtectum. Icterus autem ad mortem vel sanitatem recuperatam usque persistit. Simul cum initiis icteri, maturiusve febris sese remittit, capitis et oculorum dolor diminuitur, aestus haud adeo torquet aegrotum. Cutis manet arida, aut madida fit sudore frigido, viscido, guttatim scaturiente. Multis autem in aegrotis Laso cutem observavit tepidam, ab anteriori antibrachii dimidio ad digitos usque, et a mediis cruribus ad mediam pedem usque, quae levem

1) id. l. c. p. 32.

sudorem exhalavit 1). Respirationis difficultas mitescit, pulsus normam imitatur consuetam, aut exilis evadit, debilis, tardus, interdum intermittens. Tum etiam increscit anxietas; dolor in praecordiis atrox est, ut nec cibum ullum, nec potum, nec medicamentum, et si blandissimum aegrotus continere possit; praecordia insuper pressionis tam impatientia sunt, ut ne levissimum quidem tactum ferant, tensa simul sunt et calidissima, e quibus affectionem ventriculi inflammatoriam coniicere queas. Intumescentia abdominis tympanitica haud raro reperitur; tum venter ipse calidus est eoque sensu acuto praeditus, ut tangi prae dolore nequeat. Media lingua nigra, marginibus badiis; intumescit, asseverante Laso, palatum molle et stria quaedam rubra ornat gingivam, ut salivatione ingrediente; quae stasis sensim propagatur per totam gingivam, quae intumescit et levissima adhibita pressione, sanguinem profundit 1). Haemorrhagiae ex aliis corporis partibus prodeunt; epistaxis ex una alterave nare incidit, sed nunquam ex utraque eam observavit Laso 2). Oriuntur sanguinis profluvia ex ano et vagina; sed non semper adsunt istae haemorrhagiae; Hunter nunquam observavit eas in Jamaika 3). Vomitus copiosus, tamquam ventriculi nimis irritati effectus, orditur; materia eiecta ab initio laticem praebet cinereum, ba-

---

1) Gerson und Julius l. c. p. 44.

2) id. l. c. p. 29.

3) Sprengel Beiträge zur Geschichte der Medicin. Bd. 2. p. 114.

dium dein, sed acrem admodum causticumque, ut gula eo adrodatur. Alvi deiectiones haud, ut in priori stadio, parcae, sed diversi coloris, flavae, virides, saepe nigrescentes sunt. Urinae secretio parca, interdum propemodum suppressa, excretio ejus dolorifica; lotium emissum turbidum, badium vel nigrescens. Haud raro intumescunt parotides. Olfactus nimis intentus in nonnullis animadvertitur, ita ut acutissime sentiant, quae indifferentia nobis, aut olfactu difficilia esse viduntur. Quodam in exemplo, inter affectionem stomachi inflammatoriam jurulentorum aut aliusvis victus nidor nauseam auxit ac vomituritionem. Sapor oris ingratus, quin imo grati potus fastidiosi sunt aut amaritiem resipiunt. Saepius ingente fame graviter macerantur aegri et magnam ciborum vim capere cupiunt, nimia autem stomachi sensibilitas non patitur sed eos respuit. Vis muscularis labat, citra inquietudinem supinus cubat aeger, surgere nequit et ob magnam imbecillitatem linquitur animo si latrinis insideat, aut sese erigat; apathia, ingens languor occupant animum; stupor sensuum, praecipue aurium haud raro occurrunt; pupula dilatata, vultus rigidus, nonnunquam vera stupiditas observantur; soporosus evadit aeger, sed crebra etiamnum et diutina vigiliarum intervalla reverti solent. Affectus convulsivi multifarii accedunt, potissimum volutantur et distorquentur oculi, dentium stridor, singultus, tremores artuum, tendinum subsultus, aut digitorum motus, ut floccos legat aeger aut fimbrias diducat; deglutitio est impedita, quod a spasmo quodam gulae, hydrophobia haud absimili, provenit. Saepe nunc exstinguntur aegroti, saepe autem tertium ingre-

diuntur stadium. Haud semper vero eum in modum, quo dictum est, diem obiunt aegri; saepius artrox ille regionis epigastricae dolor et anxietas, exinde orta, in ferox abeunt delirium, quod ad facinora furiosa instigat aegrum. Sin autem acerbe interdum vitiatus sit animus, tamen epidemiae quaedam exsteterunt, in quibus mentis alienatio non adeo violentem sese praeberet; ita Laso nunquam observavit aegrotos adeo mente defectos, ut in furorem ageretur animus; pertinaciter sensuum fallaciis animique pervagationibus inhaeserunt, haud vero rationi experti fuerunt, cubili exsurgere, tegmentis sese liberare, humi cubare, aquam frigidam bibere, emplastra vesicantia et sinapismos evellere, si eorum efficaciam sentirent, vehementer cupiverunt; attamen nullam adhibuerunt vim nec ingentem clamorem ediderunt, nec eos male tractaverunt, qui adfuerunt, neque ullum offenderunt. 1.)

Stadium tertium.

Transit in hoc stadium morbus, si materia vomitu ejecta atro colore imbuitur, sed minus frequens vomitus esse solet. Praevio tenesmo, alvi ejectiones aut ejusdem sunt atri coloris, aut laturae carnis similes; haud raro obvia ischuria vel stranguria, qua aliquantulum lotii cruenti, imo atri emittitur. Brevi ante mortem sphincteres ani et vesicae resoluti, inscio aegro, urinam alvumque emittunt. Pulsus tardus,

---

1) Gerson und Julius l. c. p. 23.

intermittens, evanescens fere, ut tactu propemodum sentiri nequeat; cutis vel arida, vel sudore frigido viscida; algor, ut marmoris, quodvis occupat membrum. Intensior lethargia, vel mite delirium opprimit aegrum et mussitat et motat labia, insultus spastici, ut singultus tremores artuum, tendinum subsultus, floccorum venatio luculentiores ac crebiores evadunt, magis magisque prosternuntur vires. Respiratio parva, stertens; oris halitus ingratus foetidus. Exspirationi aliquid peculiare inesse dicitur, licet multi scriptores hanc rem silentio praetermittunt; Laso autem duas adeo ejus novit species, plane inter se discrepantes: minus foedam alteram et limi pravi aut partium vegetabilium, putredine correptarum odori similem, persimilem alteram cadaveris putrescentis odori, quem auctor ille ultra primam exspirationem sustinere non posset. 1) Ubique vero funereum aut sui generis odorem aegrotus emittere solet. Maculae proveniunt in cute algente rubicundae, lividae aut nigricantes, e suffusione sanguinis oriundae, vel vibices haud raro et anthraces. Oculi, labia, lingua, gingiva sanguinem profundunt; ex vulneribus, per emplastra vesicantia inductis, stillat sanguis, aut livescunt illa et gangraena corripiuntur; sudor cruentus pluries observatus est; sanguinis e naribus vel ano profluvia largiora evadunt, cujus copia, observante Chisholm, trium librarum pondus habuit. 2) Color emissi huius

---

1) Gerson u. Julius. l. c. p. 26.

2) Osgood. l. c. pag. 8. v. notam.

sanguinis niger est et dissolutam praebet indolem et foedum odorem. Extremae et prominentes corporis partes, ut scrotum, digiti, nasus et aures haud raro discolores fiunt et in gangraenam abeunt. Aliquot horas antequam consequitur mors, aegroti, juvenes prae primis et homines robusti, summa etiamnum anxietate torquentur, quae gradatim augetur et vertitur in delirium furibundum: e lecto prosiliunt, vociferantur, saeviunt et omnia abjiciunt integumenta, donec exspirent.

§. 4.

Morbi decursus, ejusque a norma aberrationes.

Morbus, qui in §. priori descriptus est, intra quinque aut octo dies exitu lethali terminari solet, et stadium primum per duos tresve dies moratur, secundum tantisper et per nychthaemeron tertium. Haud raro vero, quod quisque fere auctor exemplis testatur, multo celerius decurrit morbus, ut intra viginti quatuor aut triginta sex horas vita dirimatur. Huc praecipue pertinent morbi insultus, quibus improviso implicantur homines et sine ullis prodromis. — Sed tardius etiam crebro ingreditur morbus, quippe quem per secundam hebdomadem protractum observaverunt Gonzalez et alii. — Febrem morbi initium esse, supra posui; subinde vero deest febris, quo autem in casu intensiorem se praebet virium prostratio et pulsus sentiri fere nequit; habitus insuper pallet aut li-

vet, oculorum splendor plane exstinguitur et mox gravia prodeunt symptomata. — Saepe autem illico ingens febrilis aestus ingreditur, sine praevio frigore. — Nimia sentiendi facultas et dolor stomachi, ad constantissima symptomata quidem accensenda, attamen haud semper obvia sunt. In epidemia, quae anno 1820 grassabatur Philadelphiae, raro tantummodo observatum est hoc symptoma et, quod mirum videtur, omnes, qui intra certam urbis regionem aegrotabant vel penitus eo carebant, vel liviter tantum patiebantur, ita ut ne fortior quidem regionis epigastricae contactus excitaret molestiam. 1) Non semper tam mature, quam in §. tertio dictum est, supervenit icterus: post septimum diem eum provenientem viderunt Laso 2) Eymann 3) et alii; nulla etiam interdum apparet aurigo, ut Valentin et alii compertum habent.

§. 5.

Febris flavae tropicae varietates.

Intra regiones tropicas complures auctores, ut Rob. Jackson, Moultrie, Brown, Eymann et alii leviorem s. benignam febris formam et graviorem aliam

1) Gerson u. Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. Hamburg 1822 pag. 25. u. f. die Anmerkung.

2) id. ibid. Bd. 1. Hft. 1. pag. 20.

3) Journal der praktischen Heilkunde, herausgegeben v. Hufeland. Bd. 15. Heft 1. pag. 133.

s. malignam dignoverunt. Utraque autem varietas neutiquam inter se discrepat et certis limitibus terminatur, levior scilicet species interdum propius accedit ad graviorem, quod inexpugnabile praebet argumentum, hancce morbi divisionem a natura stabilitam non esse. Discrimen palmarium nempe quaerendum est in majori intensitate symptomatum primi stadii, affectione nervosa graviori secundi stadii, celerius in tertium transeuntis. — Duas febris flavae varietates pariter statuit Savarésy, quae sunt: typhus ictérique, cui diathesin tribuit asthenicam indirectam, et typhus americain s. occidental, diathesi nervosa conjunctus. Illum typhus ictérique iterum dividit in typhus ictérique régulier et typh. ictériq. irrégulier, quorum uterque rursum duobus gaudet gradibus (degrës) etenim dicit: typh. ictériq. régulier du 1er degré, parfait; typh ictériq. régulier du 2e degré, parfait; typh. ictériq. irrégulier du 3e degré, imparfait et typh. ictériq. irrégulier du 4e degré, imparfait. Primi gradus symptomata fere eadem sunt, ac in §. 5. enumerata, sed graviora; celerrime progredit morbus et terrent insultus. Secundus gradus eadem exhibet symptomata, sed desunt ei furunculi, parotides, gangraena partialis, petechiae et ingens illud sanguinis dispendium; distinguitur autem ab aliis vomitu percopioso materiae tenacis viscosae, et tertio aut quarto die vomitu atro. Tertius gradus eum complectitur statum, ut praeter illa symptomata, quibus caret gradus secundus, removeamus etiam icterum completum, habitum tetrum, linguam nigram, tendinum subsultum,

evacuationes involuntarias, odorem aegroti cadaverosum, delirium furiosum, singultus crebros, vomitum atrum, dolorem acerbum capitis et oculorum et affectionem comatosam. — Hoc in gradu vomendi conatus nimii sunt die secundo vel tertio; eiicit ut plurimum aeger quos sumsit cibos et pituitam viscosam, quarto autem die floccos. Haud constanter adest aurigo, neque adeo saturata, ac in prioribus gradibus, sed color magis stramineus apparet; flavedo fere nihil aliud est, nisi intensus totius corporis pallor, quem nuncupat auctor ille l'ictère incomplet. — Quartus gradus levia largitur symptomata: aestus minor, pulsus plenus quidem fortisque, sed minus frequens; facies rubra, lingua pura; lassitudo, dolor capitis et renum; nausea, vomitio rara colluviei pituitosae; exigua e naribus haemorrhagia. Si exitium minatur iste gradus, deliria praecedunt, convulsiones, coma et singultus. Icterus ille incompletus haud constans est huius gradus symptoma et ut plurimum quinto aut sexto febris die, vel serius etiam accedit. —

Febris flava cum diathesi nervosa s. typhus occidental cum typhus ictérique quarti gradus multa habet communia et hacce sola diathesi discriminatur ab altero; symptomata fere eadem, sed inquies, rubor faciei, dolor renum minores sunt; haemorrhagia nulla; icterus incompletus aeque ac suppressio urinae raro tantummodo comitatur morbum; sed die morbi tertio quartove mera urinae retentio satis crebro observatur; nonnunquam etiam delirium, nulla tamen

affectio soporosa 1). Sam. Jackson in epidemia, quae anno 1820 grassabatur Philadelphiae, tres distinxit varietates. Prima, reliquis gravior et malignior, semper terminabatur morte. Secunda, ab initio maligna, salutis spem non sustulit, dummodo satis mature consulerent medicum, ita ut die quarto vel sexto convalescentia contingere soleret. Tertia varitas, cuius quidem symptomata metum fecerunt, verumtamen medelam haud respuerunt, unum tantummodo perduravit diem et limitabatur sedibus copiosis, sudore aut venae sectione. Si autem ad diem quintum usque protracta erant symptomata, tunc sese remisit febris, quod nunquam contigit in prima varietate, in secunda autem conamina tantum se obtulerunt 2).

Rob. Iackson Gadibus, anno 1820, tres discrevit febris flavae varietates. — Varietas prima praesertim corripuit systema vasorum; cordis et arteriarum vigor ingens, imo impetuosus, saepe autem uno loco magis perspicuus, quam altero. Si universalis erat haecce irritatio, morbus, prosperis in exemplis, solvi solebat sudore et urina, sedimento praedita; adversis autem in casibus ob debilitatem sese remisit impetus. Insultus morbi magis localis pure solvebatur, quod in loco affecto deponi consuevit, sed exitus huius mali, aut laetus aut funestus, a variis dependebat conditionibus. Varietas secunda. — Alia apparuit febris, praeprimis circa epidemia finem, si systematis vasorum actio

---

1) Savarésy l. c. p. 266.

2) Gerson u. Julius l. c. Bd. 2. Hft 1. p. 25.

exigua erat, resorbendi facultas diminuta, sed organa vicina inter se coalescendi propensitatem ostendebant, nec opportunitas ad stases humorum singulis in organis et peculiaris efficacia ad systema lymphatico-mucosum derogari potuit. — His autem palmariis symptomatibus hancce varietatem dignoscere oportebat: primum post accessum pulsus frequentia decrevit, quippe qui mediocris erat et expeditus, nullomodo febrilis. Cutis mollis, madida saepe, temperies eius naturalis et aequabiliter distributa; nonnunquam autem alguit corporis superficies; labia nunc humida rubraque, nunc sicca et pallida; palluit habitus, circumscripto interdum genarum rubore, vultus languidus, adiaphorus aut morosus; oculi suffusione aliqua, difficili descriptu, obnubilati; lingua obtecta modo, modo aspera et sicca, modo pura. Sitis ardens, nausea, ructus, regio epigastrica tensa et pressionis impatiens saepe turbaverunt quietem. Vomitus ciborum assumtorum, materiae squalidae viscosae, raro amarae, flavae aut viridis tertio die contigit, quinto autem vomitus ipse ater.

Primum inter insultum dolor capitis atrox erat, moderatus dein, ad finem morbi evanescens. Deliravit interdum aeger, uniuscuiusque autem debilitatum erat ingenium, quod memoria praeprimis labefactata se manifestavit. Ab initio saepe obstipata fuit alvus et, aut nihil valuerunt laxantia, aut, si tandum alvum solvissent, verum levamen non attulerunt. Serius autem alvo eiiciebatur colluvies aquosa, squalida, nigra, floccis villosis aut granulis vitratis quasi intermista. Pulsus debilis evasit, parvus, celer, postremo deficiens fere. Celerius quandoque intravit mors, saepe tran-

quilla, nonnullis in exemplis convulsionibus accelerata, et raro tantum decursus hic die quinto aut septimo nova vis vitalis refectione mutabatur et prospera gaudebat fine. — Varietas tertia, longe creberrima, corripuit systema, quod prae est humoris serosi secretioni. Pulsus celer, saepe concitatus, nec vero plenus, nec fortis; iam ab initiis cutis arida erat et permanebat; labia sicca, vultus morosus inquietus; splendescebant oculi, praeprimis in ultimo stadio, ut oculi felini fulgebant; tunica sclerotica tertio die flavebat. Calor cutis consueto maior, acris interdum et pungens; cutis irritamentorum, e. g. vesicatoriorum etc. minus impatiens, tertio, quarto aut quinto die flaccidam accepit indolem. Sedes ab initio copiosae, frigidae, aquosae, atrae; saepe numerosi centunculi tunicae villosae tubi intestinalis sedibus innaverunt. Raro violenter aut diu perturbata erat mens. Spasmi et convulsiones saepe morte finiebantur 1). — Francisco Rodriguez illa in epidemia pariter tres distinxit febris flavae varietates, quas nuncupavit: 1 adinamica, in qua praedominatur ad putredinem propensio: 2. ataxica in qua apparent abnormia systematis nervosi phaenomena: 3. angiostenica, inqua inflammationis signa adsunt 2). — Don Manul Gil y Alveniz eidem dividendi rationi est addictus 3). — O'Halloran in epidemia, quae anno 1820, devastavit urbem Xeres,

---

1) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 45.

2) id. ibid. p. 69.

3) id. ibid.

duas varietates agnovit: altera praeprimis circulationis corripuit systema, altera, creberrima, nec non periculosior magis systema nervosum subegit. Secunda haecce forma fere eadem complectitur symptomata, quae tanquam secundam febris flavae varietatem innuit R. Iackson; in determinanda prima varietate cum altero alter congruit. 1) Et Bancroft etiam duas assumit febris flavae formas; sed in altera cerebrum magis affectum est, vomitusque minor, altera vero stomacho magis adstricta est, vomitusque copiosiori stipata 2) Quae diversitas a compluribus auctoribus confirmatur et praecipue in initiis morbi observata est. Ita enarrat Osgood, se nautas, hoc morbo correptos, a navium praefectis obiurgatos audivisse, quippe qui ebrios illos crederent; prima scilicet symptomata crapulae saepius haud absimilia esse solent 3); quod affirmat etiam Iakson. In epidemia, quae anno 1816 grassabatur in insula Gaudeloupe, plura Vatable observavit exempla, quibus febris a primordia cum praevalente cerebri affectione se exhibuit 4). Simile quiddam sane opinantur etiam Gross et Gerardin, dicentes: „dans la première période la sensibilité et le déchirement de l'estomac l'ont quelque fois emporté sur la cephalée et les

---

1) Julius und Gerson l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 69.

2) Osgood l. c. p. 10. v. notam.

3) id. l. c. p. 7.

4) id. ibid. v. notam.

douleurs lombaires," 1) Alii sunt, qui censeant, febrem flavam Americae septemtrionalis diversum esse morbum, ab eo, qui in insulis Antillis occurrat. Sed falsa est sententia secundum plurimorum auctorum testimoniam, qui consentiunt tamen, febrem flavam terrae continentis universim leviorem esse, quam quae in insulis Antillis observetur; desunt nempe priori ut plurimum parotides, anthraces et gangraena, altera autem in viris robustis non raro complicatur tetano, epilepsia, paralysi aut hemiplegica, aut paraplegica et cynanche maligna s. gangraenosa.

§. 6.

Diagnosis

Ita inter se discrepat febris flava secundum auctorum experientiam; sed et alii morbi ei persimilem prae se ferunt speciem, qua ex causa nunc facilius, nunc rarius in morbo dignoscendo medicus decipi potest; exemplum proferam, quod illustrare valeat hancce sententiam. Grassatus est anno 1820 Eboraci novi epidemicus morbus, a nonnullis illius oppidi medicis pro febre flava habitus, quod negaverunt alii, et sequentes ob rationes typhum malignum creddiderunt: Corripuit morbus 237 homines, quorum octo, partim vivi vomitum atrum experiebantur, partim mortui eiusmodi sub-

---

1) Gross et Gerardin, rapport fait a la Société médicale sur la fièvre jaune etc. Nouvelle Orleans 1818. p. 13.

stantiam ostendebant. — Morbus, cum gelu et nives iam inciderent, persequebatur devastationem, ut pridie Calendas Ianuarii novem, eo morbo laborantes, in nosocomium urbis reciciperentur et, perseverante gelu, aegrotorum famulae aliique aegroti eodem morbo inficerentur. — Triplo plures Aethiopum, quam Europaeorum morbo hocce correpti sunt, et illis multo perniciosior, quam his fuit. 1) Si penitius perpendamus haecce argumenta, ad evidentiam fere elucescere videtur, morbum illum haud febrem flavam fuisse; typhum malignum autem, in illis regionibus fervidis et prope mare aut paludem sitis, si accedit aeris pravitas, protinus tot et tanta signa biliosa concipere posse, ut et medicus satis peritus decipi queat. In mitioribus exemplis febris flava parum tantummodo differt a febre remittente commune; Chevalier se compertum habere affirmat, febrem flavam insulae St. Domingo a febre autumnali Galliae perparum discrepare 1). — Iohn Hill, prolatis morbi symptomatibus interrogat: where are the great distinctive lines that render it a disease, sui generis, peculiar in itself, dissimilar, and distinct from our autumnal bilious remittents? Accedit, quod febris flava semet remisit, et nonnullis in casibus regulares servavit exacerbationis periodos, testibus plurimis illius regionis medicis. — Stomachi irritabilitas febris

---

1) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 34.

2) Sprengel's Beiträge zur Geschichte der Medizin. Bd. 2.

biliosae remittentis palmarium, maximeque timendum praebet symptoma, et vomitus ater aut analogon saltem, testante eodem auctore, hoc in morbo haud deest. Cutis flavedinem idem non aestimat symptoma diagnosticum, quia in utraque morbo adesse possit, sed haud necessario requiratur. „From such considerations, pergit auctor, J cannot refrain expressing my belief, that the are the same disease, differing only in degree, and augmented in malignity by an increased power of the morbid cause, or some peculiar combination of causes by us inexplicable. And it affords me much satisfaction to know that Jam supported by the able an experienced testimony of a Bancroft, a Jackson, and a Pinckard." 1) — Existunt scriptores, qui causum veterum et febrem flavam tropicam unum eundemque putant morbum; Bancroft, Moseley et alii nomen causi febri flavae tributum volunt. Alii, ut Harles omnem utriusque morbi affinitatem penitus repudiant 2). Utraque autem pars a veritate sane aberrat, et propius certo ad rei veritatem accedunt Gilbert, Valentin et alii, febrem flavam tropicam causi varietatem censentes et utrumque malum in una csasse collocantes. Vera etiam est sententia, quam pronunciavit Heineken: „utriusque morbi diversitas, inquit, variis tantum in-

---

1) The American Medical Recorder. Vol. 5. Philadelphiae 1822.

2. Osgood l. c. p. 22. v. notam.

nititur causis, quibus ille inducitur, quippe quae a coelo, natura regionis epidemica, anni tempore, aliisque conditionibus dependent, quam ob rem febris flava diversas subit modificationes, quamvis indoles eius essentialis in omnibus aberrationibus eadem servetur." 1) — Levem tamen dubitationem praetermittere non possum, annon quaedam naturae diversitas his in morbis statuenda sit; admodum enim notatu dignum mihi videtur, quod febris flava advenis praesertim est infesta, causus contra, hodie in Archipelago et caeteris littoribus maris mediterranei, nomine febris ardentis s. febris remittentis ardentis, indigenas advenasque eadem cum saevitia ac frequentia corripit. Febris Bulamensis a patria, insula Bulam, dicta prope oras occidentalis Africae sita, aliis species maligna febris flavae Indiae occidentalis existimatur, aliis uterque morbus affinitate inter se iunctus, aliis denique longe diversus censetur 2).

§. 7.

Causae occasionales.

Potentiae externae, quae febri flavae ansam praebent, sunt: atmosphaera maritima, paludes vicinae, aestus. — Mare singulari ratione alienare aëris indolem itaque febris flavae origini favere contenderunt non-

1) Osgood l. c. p. 23.

2) id. ibid. p. 23.

nulli. Davidson, qui ea de re, in insulis Antillis experimenta instituit, asseverat: 1. — oxygenis copiam atmosphaerae insularum Indiae occidentalis, triplo maiorem inesse, quam Europaeae; 2. — oxygenis copiam in inferioribus aëris stratis, maiorem esse, quam in superioribus; 3. — oxygenis copiam in regionibus humidis, ubi grassatur febris flava, minorem esse 1). — Experimenta autem, a Jonnés instituta, longe alia docent; secundum eius sententiam oxygenis copia in insulis Antillis ubique eadem est et congruit climatis nostri atmosphaera 2). — Quod etiam respondet iis, quae experimentis, ab Humboldt hac de materia institutis, nobis suppeditantur. Refutatur simul Doctoris Ingenhous effatum: aërem, scilicet, prope littora maris et ostia fluminum plus oxygenis continere, quam ab his magis remotum; nullisque rationibus eorum sententia inniti videtur, qui maiorem minoremve oxygenis copiam febris flavae causam subgerere perhibent. — Hoc modo ergo maris vicinia ad febris flavae originem conferre nequit; propius tamen ad veritatem accedimus si accusamus aëris humiditatem, qua pollent regiones mari finitimae. Sed non urbes solum maritimae devastantur morbo nostro, quippe qui propagatur etiam penitius ad regiones, a littoribus magis distantes; quod autem asseverat magis opinionem, quam ei refragatur. His in exemplis scilicet urbes, febre flava subactae, quod equidem scio, semper fluminibus magnis confines

---

1) Jonnés l. c. p. 416.

2) id. ibid, pag. 418.

erant, quae iam suffecerunt, ut aërem satis humidum redderent; ita grassatus est morbus anno 1798 Alexandriae, prope flumen Potomack; eodem anno Petropoli, prope flumen Appomatox; anno 1796 febris flava infesta erat Gallis, coloniam Galliopolin, ad ripas occidentalis fluminis Ohio positam, inhabitantes. Omnes hasce urbes, aiunt, etsi quovis cum mare commercio careant, tamen atmosphaera infestari humida, multis rebus putrescentibus et aquis stagnantibus contaminata, quae, si tempore aestivo flumen decrescit eiusque alveus fere exhauritur, hic illicve in fundo limoso remanent 1). -- Ex omnibus fere febris flavae monographiis, quibus adiectae sunt tempestatis observationes, tempestatem continuo pluviosam praecessisse videmus epidemiae, nec non aëris humiditatem, his valde audauctam, quae subito excepit nimium aestum, aut pluviam et aestum simul incidisse. Nimius hicce aestus inter maris recessum littora limosa, variis ac diversis quisquiliis et vegetabilibus et animalibus effuse obtecta, adurit, quo fit, ut limus putrescat, odorem divulget foetidissimum et atmosphaeram inquinet. Idem valet de ingentibus illis paludibus, quae affatim cingere urbes dicuntur; ex his et illis summopere noxium elicitur miasma. Hoc modo plurimi auctores febris flavae originem explicant, quibuscum et ego consentio. Dickson sane a veritate discedit, qui: ingentes, ait, soles praebere conditionem, sine qua febris

---

1) Valentin traité de la fièvre jaune d'Amerique. p. 74.

flava oriri nequeat 1) nec minus Blane, contendens: febrem flavam desinere, si thermometrum gradum 21 R. non assequatur 2); item Gilbert, zonam cancri limitem circumscribere existimans, intra quem vis contagiosa febris flavae sese exserat 3). Jonnés observavit mense Decembri, anni 1807, thermometro minorem aestum indicante, febrem summa cum saevitia milites in insula Martinique devastantem 4); et Hillary profert: se huncce morbum per pluros annos et temporibus anni frigidissimis et calidissimis grassantem animadversisse 5). Satis insuper notum est febrem flavam prodiisse in urbe Canadensi, Quebec, sub gradu quadragesimo sexto lat. septemtr. sita. Talia autem exempla, etiamsi contrarium docere videantur, solummodo exceptiones a regula sistunt, et minime dubium est, quin febris flava eiusque origo omnino imperio tempestatis et temporum anni subditae sint; quin porro morbus noster generatim altiori solum thermometri statu excitetur, et rarior evadat subsidente thermometro, penitusque desinat, si illud infimum tenet locum. Ut fidem faciam huic sententiae, liceat mihi ex innumeris unum tantum proferre exemplum; interseram hunc in finem descriptiunculam decursus epidemiae cuiusdam, quae anno 1819 Aureliae novae atrociter

---

1) Osgood l. c. p. 16. v. notam.

2) Jonnés l. c. p. 390.

3) Osgood l. c. p. 16. v. notam.

4) Jonnés l. c. p. 388.

5) id. ibid. p. 389.

diripuit ter quartam advenarum partem: Nonis Maii primum corripuit hominem morbus et per aliquod temporis spatium sporadicus quasi observatus est. Cum autem Iunium procellosum et pluviosum, cuius noctes frigidae erant ac humidae, haud sine numerosis tonitrubus, calidior Iulius cum coutinua fere pluvia et aestu graduum 82 — 88° F., imo aliquando 94° F., nunquam vero infra 73° F., excepisset, morbus popularis evasit. Aestu per hunc mensem a 92 ad 85° et dein ad 76° F. diminuto, morbus fere abiturus videbatur; recrudescebat tamen et magnam vim recuperabat mense Augusto, qui ne uno quidem sereno die, sex vero pluvia vacuis insigniebat, cuiusqne aestus inter 76 — 86° F., pendebat. Mense Septembri exitialitas increvit et inter 72 90° F. nutavit aestus. Medio Octobri subito ingens ingruit frigus et devastatio mali diminuta est; cum autem rursum calor vehemens pluviaque incursarent, paulo post augescebat malum. Mense Novembri tandem remisit epidemia, penitusque evanuit mense Decembri, cum continuum et acerbum ingruisset frigus 1). His omnibus propositis plane refutatur dira illa sententia, quam citra ullam veri speciem ac experientiam pronunciavit Harles: „und es lässt sich, inquit, hieraus das furchtbare Prognosticon stellen, dass wenn die nördlicheren Länder von Europa, namentlich unser Teutschland, Preussen u. a. das Unglück haben sollten, von dem gelben Fieber in einiger Ausbreitung heimgesucht zu werden, in diesen die Wuth und

1) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 8.

Tödtlichkeit dieser Pest sich wo möglich verdoppeln, und in noch schnellerer Zeit, als in Cadix und Mallaga die bevölkersten Städte zu Einöden machen würde!" 1) — Shecut febris flavae causam in electricitatis penuria quaerendam esse putat; etenim in epidemia quadam, Carolopoli grassante, e machina electrica scintillae vix prolici potuit. Haud negaverim quidem maiorem minoremve electricitatis copiam nonnihil efficaciae in morbum nostrum exserere 2).

§. 8.

Causae praedisponentes.

Inter omnes constat, homines quosdam huic febri minus abnoxios reddi, licet potentiis eam moventibus sese obiiciant. In America haec ita se habent: 1, indigenae, 2, Aethiopes et advenae regionibus illis iam assuefacti, 3, infantes, mulieres atque senes, ex Europa nuper illuc profecti, 4, iuvenes, quibus exigua inest receptivitas ad conciscendam huncce morbum. His, teste Osgood, omnes ii accensendi sunt, qui febre hectica, dysenterica, intermittente, remittente, aut rheumatica laborant; porro qui ex his aliisque morbis acutis convalescunt. Teste Vatable, in epidemia, quae insulam Guadeloupe subegerat, pluri-

1) Harles, über die Gefahr und Ausbreitung des gelben Fiebers in Europa. p. 20.

2) Gerson und Iulius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 14.

mi advenae, diarrhoeis biliosis laborantes, febre flava vacabant 1). — Jonnés huc numerat eos, qui habitu, lymphatico utuntur 2). — Mirum in omnibus fere epidemiis illud fuit, quod mulieres paucae interimebantur. Quum Richard Ligon anno 1647 insulam Barbadam appelleret, mortuorum numerus semper denos viros unamque feminam habebat. Anno 1800 Seviliae inter mortuorum viros triginta una exstitit mulier 3). Epidemiis autem febris flavae atrocioribus ne Aethiopes quidem indigenaeque incolumes manent.

Iam quaeritur, quid Aethiopes atque indigenas tam mirifice ab hoc morbo tueatur? Inhabitatio longior illarum aut calidarum tamen regionum et climatis indoles, iam in consuetudinem adducta, organismum iniuriarum febrem flavam inducentium patientiorem reddunt. Veritas huius opinionis extra omnem dubitationis aleam posita est; nam si indigenae alias in terras, quibus clima frigidum est, itinera diuturniora fecerunt, eandem facultatem ad morbum consciscendum offert, quae Europaei insigniunt. Si quaeras, quid tandem mutationis diuturnior commoratio in illis regionibus corpori et constitutioni inferat, ea teneto, quae Osgood respondet: Longiore, inquit, habitatione in regionibus calidis, humidisque latices corporis iustam proportionem cum capacitate et elasticitate va-

1) Osgood l. c. p. 15.

2) Jonnes l. c. p. 422.

3) Jonnés v. Horn's Archiv u. s. w. Jahrgang 1820. Septbr. Octbr. p. 251.

sorum subeunt, eoque corpus recipiendae febri inhabile evadit. Iure meritoque ab interprete eius celeb. tanquam manca reiicitur ista sententia, gravique vituperio illud stringit, quod auctor incitabilitatis sphaerae sensibilis atque irritabilis rationem non habuerit 1). Jonnés causam illius phaenomeni, ut iam supra dictum est, in constitutione lymphatica ponit, quatenus in peculiarem systematis cutanei modificationem indicat, quae, ut ipsi videtur, systemati absorbenti atque incitabilitati innititur, quae quo remissius functionibus suis respondent, eo minus infectionis periculum imminet. Exiguum hunc incitabilitatis cutaneae gradum indigenis et Europaeis, climati assuefacti, utique inesse, eventu plurimorum experimentorum comprobat, quae grassante epidemia febrium intermittentium instituere ipsi licuit: Chinam, alcohole maceratam, abdomini et cruribus infricari curavit, et absorptio, uti observatum est, in Aethiopibus nulla, Creolis et Europaeis, coelo assuefactis tarda ac debilis, plurimis vero Europaeorum, qui ante breve illuc devenerant, maxima exstitit 2). — Ut humores advenarum iustam cum capacitate et elasticitate vasorum subeant rationem, teste Osgood, per integrum saltem annum regiones inhabitaverint necesse est, quibus febris flava inquilina esse solet 3). — Ad deprimendam cutis incitabilitatem, qua Europaei robustiores pollent, et ad

1) Osgood l. c. p. 14.

2) Jonnés l. c. p. 422. et 429.

3) Osgood l. c. p. 14.

constitutionem lymphaticam efficiendam, Jonnés commorationem biennem in regionibus tropicis opus esse perhibet 1). — An etiam in Hispania febris flava peregrinos potissimum eligat et indigenis parcat, uti in America, nullis in libris expositum deprehendi, quos de hac re evolvere licuit. Nonnisi diario a Gerson et Julius edito haec leguntur: in Puerto St. Maria anno 1821 febris flava peregrinos ac nuper Hispaniam ingressos infectabat 2). — Si descriptionibus aliarum epidemiarum in Hispania grassatarum fidem habeamus, contrarium existimemus oportet. Attamen febris iis pepercit, qui in America septemtrionali, morbi huius patria, diutius commorati erant. Aliud notatu dignum est, lanios, coriarios et saponarios febre flava maximam partem immunes esse 3). Idem Rush in iis observavit, qui prope officinas habitabant, in quibus Sal ammoniacum parabatur; Pugnet in iis, qui in insula St. Lucie regionem la soufrière incolebant, per quam exhalationes minerarum sulphurearum dissipabantur 4).

Quum ex superioribus pateat, febrem flavam prae ceteris viros iuniores robustosque adoriri, potissimum ei obnoxii sunt, qui incongruae vivendi rationi indulgent, multa carne pascuntur, excessum in spirituosis aliisque ardentibus, nec non in venere committunt,

---

1) Jonnés l. c. p. 422.

2) l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 46.

3) Valentin l. c. p. 91.

4) Osgood l. c. p. 91.

solis radiis per totum diem se obiiciunt, neque perfrigeria cavent; quorum animus pathematibus deprimentibus subigitur, praecipueque infectionis metu turbatur; qui nostalgia laborant etc.

§. 9.

De morbi natura

Plerique auctores, breve vitii stomachici stadium synochicum non observantes, morbum nostrum hucusque typhosum crediderunt; Harles e. g. plane repudiat statum inflammatorium, morbumque in typho musculari proprio collocat. Sed complexus symptomatum essentialium, funerum sectiones et quodammodo etiam, causae occasionales affectionem inflammatoriam organorum gastricorum, praeprimis stomachi probare videntur, quod etiam omnes fere medici Americani affirmant. Broussais, et qui eum secuti sunt, febrem flavam gastro-enteritidem putant, quibus assentiunt Mendoza, Laso et plures Hispani. Medici Gallici Bally, Pariset, François et Audouard, qui magistratuum iussu, anno praeterlapso Barcinonem missi sunt, febrem penitius indagaturi, tunc temporis in illa urbe grassantem, ad plures quaestiones a praefecto urbis ipsis propositas, haec dedere responsa: „la nature du mal est la fièvre iaune, la maladie est, exotique et contagieuse. Le mal est une espèce de venin qui attaque dès le principe les organes interieurs de la vie de l'homme, tels que les poumons, le coeur, l'estomac

et les intentins qui s'irritent, s'enflamment, se gangrènent et se paralysent; les reins sont également attaqués et font éprouver de douleurs aiguës" 1). —

Nihilominus tamen Dr. François scripsit Doctori Bertin, Parisiensi: morbus nervis insidere videtur, dein: stomachus saepissime affectus esse videtur, quippe qui laborat irritatione sui generis, quae cum phlegmasia ne confundatur probe cavendum est, etiamsi in ventriculi parietibus haud raro labeculae gangraenosae reperiuntur; in febre flava nihil probat statum synochicum, cuncta sunt nervosa 2). — Nonnulli medici Gaditani febrem flavam, anno 1820 Gadibus grassantem, exanthema putaverunt iternum contagiosum 3). Morbi natura ulterius investigata, supervacaneum est monere, morbum nostrum populariter grassari consuevisse. Attamen haud desunt morbi endimici exempla; edisserunt testimonia sanitatis nautarum Veracruce profectorum: febrem nonnullis peregrinis limitari, nec non eorum qui ex Havanna discesserant: urbem sospitem esse, ad summum: etiamsi complures febre flava laborent, nec popularem, nec contagiosum morbum grassari 4). — Et sporadicum fere interdum se praebet morbus; quod ut confirmetur, anno 1819 Philadelphia singulos tantum febre flava implicatos esse, prof-

1) Gerson und Julius l. c. Bd, 2. Hft. 1. p. 110.

2) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 106.

3) id. ibid. p. 70.

4) id. ibid. p. 4.

eram 1). — Iam ad disquisitionem me accingam an febris flava contagiosus sit morbus, nec ne; proh dolor! tanti ponderis res quotidie fere adhuc in controversiam vocatur, praeprimis medici Americani iterum iterumque hac de re inter se litigant. Hispani vim contagiosam crediderunt, aut credere coacti sunt; nuperrime autem Alphonso de Maria, Hurtodo de Mendoza et Francisco Salva negaverunt illam vim contagiosam 4), nec temere suspicari licet et caeteros Hispanorum medicos in partes illorum abituros esse.— Medici Gallici concordes fere morbum contagiosum perhibent, praesertim ex quo Bally, Pariset François et Audouard, ut supra posui, disertis verbis id asserunt. Dr. François ante diem tertium mensi Octobri, anni 1821 Doctori Bertin, Parisiensi haec scripsit: Contagiositas manifesta videtur, quippe cuius originem novimus, progressum persequimur et ab altero ad alterum transmigare videmus, paulo infra: corpus aegroti miasma exhalat, quod sensus nostros praeterfugit, sed vestimentis, stragulis, tegminibus, supellectili, quin imo, uti experientiae satis numerosae contestari videntur, cubiculorum parietibus adhaerescit, iisque id facultatis impertit, ut homines alios, pro maiori minorive receptivitate aut facilius, aut difficilius inficere queant 1). Dr. Pariset scripsit: oui cette maladie et la fièvre jaune de l'Amerique; elle a

1) id. ibid. p. 45.

2) Gerson und Jnlius l. c. Bd. 2. Heft. 1. p. 107.

été importé, elle est contagieuse, et nous avons les belles preuves de ces vérités. — Et Germanorum plerique febrem flavam contagiosam putaverunt et forsan adhuc putant, sed allegabo nonnulla quae, ut spero, probare valeant nullomodo contagiosum esse morbum: — Audouard, licet, ut supra monui, contagiosam febris vim affirmat, bis coram pluribus hominibus lavit manus substantia illa atra, vomitu eiecta, bisque eam degustavit, quin morbo inficeretur. Hurtado de Mendoza de milite quodam refert, qui duas noctes lectum occupavit, in quo cubuit aegrotus, febre flava afflictus, et praeter capitis dolorem nihil incommodi tulit, qui statim evanuit, cum locum deseruisset 1). Quod epidemiam attinet, quae grassata est 1817 in urbe Baltimore, omnes qui ibi medicinam exercent, nullum se expertos esse exemplum testantur, alterum ab altero esse infectum. In nosocomio illius urbis inter 130 homines, diversis morbis correptos, 30 — 50 alii, febre flava laborantes, qui cum illis intimo commercio gaudebant, collocati erant, quin ullus vel illorum, vel famulorum inficeretur. Dr. Fürth, medicus in urbe Savannah, literas dedit ad Gerson et Julius, in quibus scripsit: sanos cum febre flava laborantibus in eodem cubiculo, imo adeo eodem lecto cubantes se vidisse, sine ullo damno; in nosocomio febre flava implicatos inter alios aegros dis-

---

1) id. ibid. p. 108.

2) id. ibid. p. 19.

3) id. ibid. p. 16.

sipatos iacuisse dicit, nec ullam infectionem ibi observatam esse; morbi haud contagiosi meliorem probationem, quam semet ipsum offerre posse, negat; etenim quotidie aegrotorum lectulos se adiisse, magnam funerum copiam dissecuisse et hucusque optime valere 3). Osgood, qui per vicennium medicinam exercuit, nullum vidit exemplum, quo febris flava ab altero ad alterum transmitteretur 1). Eadem etiam Valentin 2) et Savarésy 3) comperisse affirmant.

§. 10.
Prognosis.

Ardua sane et difficilis res est, certi quidquam praedicere de morbo, adeo ad malignitatem propenso, qui diminutis saepe et remissis symptomatibus, aegrum pariter ac eius cognatos torquentibus, medico et circumstantibus convalescentiae spem suppeditat, tamen atrocius irruit, omnem aufert spem, trucidatque aegrotum. — Generatim autem perpendamus indolem aegri et constitutionem necesse est; in hominibus caetera sanis validisque, praecipue si complexibus venereis nimis indulserunt et dapsile convivantur, generososque potus amant, pessimam offert prognosin morbus. Laso teste, homines, qui antea vitio stomachico laboraverant, summa et funesta huius morbi receptivitate

---

1) l. c. p. 2.

2) l. c. p. 62.

3) l. c.

sunt praediti, facileque eo occupantur. Haud parum etiam influit tempestas; si morbus corripit hominem ingente ariditate et coelo aestuoso, funestior exitus est praesagiendus, quam si aër sit humidus et subfrigidus. Idem valet de anni temporibus; si illas in regiones frigido anni tempore pervenit Europaeus, proxima morbi epidemia haud ita ei est infesta, quam si anni tempore aestuoso et morbi ortum iuvante, appulerit. —

Haec de prognosi in universum; iam allegabo symptomata singularia et quid in morbi decursum valeant. Primum respiciendum est, an febris perspicue sese remittat, nec ne; quo magis remittitur febris eo tardius et benignius malum decurrit; quo magis autem appropinquatur febri continuae, eo magis periclitatur vita. Haecce febris continua, si iam ab initiis virium prostratione iuncta est moxque ei associatur vomitus et stranguria, brevi sed funeste terminatur. Vera urinae suppressio, testibus Gross et Gerandin, semper exitiale erat symptoma; quinto die moriebantur aegri. Iidem auctores auriginis ante sextum diem apparitionem semper exitiosam animadverterunt 1). Moseley criticum distinguit icterum et symptomaticum; priorem quies, nulla lassitudo, sed perspiratio universalis tepida excipere dicitur; alterum contra nausea, vomitus, pulsus suppressus et sudores colliquativi. Bisset eadem agnoscit icteri varietatis, quo teste tamen icteri critici color saturatior est, quam symptomatici. — Ex fusco

1) l. c. p. 16.

flava, ait Osgood, coloritio interdum bonum saepius autem malum est phaenomenon; si octavo apparet nonove die, simulque restaurantur vires, adauctae actionis vasorum secernentium ac resorbentium habendus est effectus, quo bilis recenter parata, accumulata partesque eius lymphaticae in circuitum delatae sunt. Quando autem cum crescentis debilitatis symptomatibus, e. g. pulsu debili, sanguinis e naribus stillicidio, secretione lotii suppressa, sudoribus copiosis, cutis aestu, sedibus colliquativis infestoque singultu incursat, humorum mixtionem iam dissolutam esse tetsatur. Quo maturius igitur haec saturata provenit cutis flavedo, eo maius periculum subest 1). Ictero, ut symptomati proprio et singulari, omnis a Savarésy derogatur prognosticus valor 2). Contendit Laso epistaxin fortuitam esse, nulliusqne in iudicando morbo momenti: attamen id lucri subgerere, ut capitis difficultates diminuantur 3). Generatim vero contendere licet, epistaxin, si in prima morbi periodo copiosa est, salubriter solvere morbum, si autem guttatim e naribus profluit sanguis, periculum indicare. Ex ore, oculis, ano et viis uriniferis sanguinis profluvia in prima mali periodo intensum designaverunt morbum, ultimo in stadio funesti exitus erant indices. Menses, si improviso proveniunt in primo morbi stadio, saepe fortuiti sunt, nec ullius momenti, saepius autem exoptati;

1) l. c. p. 11.

2) l. c. p. 297.

3) Gerson und Julius l. c. Bd. 1. Hft. 1. p. 28.

si vero in secundo tertiove stadio obveniuntur, ingens significant periculum. Perspiratio cutanea universalis tepida semper boni ominis est; si penitus aeger caret sudore, periculum imminet et morbus gravis est, attamen haud exitialis; prodest si sudor odorem spirat peculiarem ingratum. Saepe post septimum diem sudorem animadverterunt, universalem tepidum, qui minime tamen levavit symptomata, periculum minantia, ut delirium, vomituritionem etc. Lotium a morbis initiis, qualiscumque eius color sit, nullius ponderis est; serius autem sedimentum flavescens bonum dicitur signum. Expedit lotium copiosum, semper sine molestiis aut impedimentis emissum; malum contra creditur, si ipsius secretio diminuta, aut penitus suppressa est; mala erat stranguria; emissio urinae involuntaria saepius signum erat mortis, post breve supervenientis. Alvi deiectiones, quod numerum attinet, regulares semper exoptatae erant, alvus cita haud raro bona erat, obstipata symptoma praebuit ambiguum, cui semper occurrendum erat. Pessimum omnium est, ubi sedes indolem aquae sanguineae exhibent, pessimam porro, si atrum colorem referunt.

Omnes fere auctores consentiunt, vomitum substantiae atrae, deterrimum quidem, minus tamen lethiferum esse symptoma, etiamsi nonnulli tamen confitentur, se nullum observasse exemplum, accedente hocce symptomate, aegrum convaluisse. Si cutis pulla et petechiis consita, abdomen, ut in tympanite, inflatum erat,

menbra algentia focillari non potuerunt, proxime abſuit mors. — Oculorum caligo, tendinum subsultus, coma, delirium furibundum semper periculosa erant symptomata et raro tandum aeger, iis subactus, sanitatem recuperavit. Homines syphilide laborantes, aut libidine immodice indulgentes, omnes fere exstinguebantur. Si complicata erat ſebris aliis vitiis, praecipue abdomilatibus, exitialis reddebantur.

§. 11.

Quae e funerum sectionibus redundaverint.

Post mortem cutis eiusque maculae opaciores, subinde numerosiores et ampliores evadunt. Maculae magnae ex opaco rubicundae, striis citrinis intermixtae circa scapulas, anum et crura apparent. Funera hominum obesorum aut sanguinis plenorum nigrescendi opportunitatem exhibent; partes molles post breve solutionem plenariam experiuntur, ita ut, si dies aliquot post sepulturam effodantur, facile caput a trunco discerpi queat. Aegrotis autem lipyrio exstinctis, cutis marmoraceam obtinet ſaciem, circa brachia et truncum maculae rutilae, caeruleae prodeunt, semper vero partes carneae maximam induunt mollitiem, ita ut digitorum impressio iis diu inhaereat, laxantur dein, et cutis superiniecta sacci instar eas obvelat. Multa funera per duodecim horas praesertim circa scapulas et collum, calent. Oculi per dimidinm patent, maiorem ostendunt, quam in ipso morbo ruborem, eumque

fere sanguineum; pupula paene semper dilatatur; os spuma, sanguine foedo, aquoso, aut latice opaco, qui funere moto e naribus et ore profluit, dimidia ex parte conglutinatur. Haud raro lumbricum unum alterumve ex nare reptantem videres. Incisis exterioribus tegumentis partes molles flavae, paulo cupreae deprehenduntur; vasa et fibrillae carneae lividae apparent. Humor aquosus, in cavis reperiri solitus, flavedinem stramineam, nec non periosteum colorem luteum offerebat. Dissecto cranio, ex omnibus diploes locis opacus sanguis scaturiebat, eorumque, qui potissimum capitis affectionibus conflictati erant, carotis interna sanguine scatebat; dura meninx inflammata apparebat, tunica arachnoidea maculas aut strias cruentas ostendebat, plexus choroideus sanguine atro dissoluto refertus erat. Qui fere exsangues et languore confecti perierant, cerebrum habebant depressum, quod levissimae pressioni cederet. Sin caput quavis affectione vacuerat, encephalon naturalem tenuit ambitum atque soliditatem.

Minimo vitio subacta, imo fere integra thoracis viscera inveniebantur; raro pulmonum superficies maculis fuscis caeruleisve inquinata apparebat, quibus vesiculae rubicundae, humorem luteum continentes, interserebantur, dum paranchyma eorum venis nodosis livescentibus intertexeretur. Cordis ventriculus anterior dilatatus, auriculae et vasa coronaria maioribus sanguinis coagulati glomerulis impleta, trabeculae carneae saepe pigmento ex livido flavo illitae cernebantur. Nunquam autem cavum abdominis mutationum expers est, quod simulac aperitur, odor maxime nauseosus es-

cendit. Color omenti et peritonaei ex luteo viridescens putredinem instantem praenunciat. Si aegrotus dolores vehementes ardentes regionis gastricae conquerebatur, manifesta inflammationis vestigia circa cardiam, curvaturam ventriculi maiorem, duodenum, et interdum etiam circa intestina tenuiora reperiuntur. Fürth inferiorem diaphragmatis paginam inflammatam vidit 1). Maculae gangraenosae intestinorum, quae a pluribus habebantur auctoribus, teste Proudfoot, nil nisi sanguis inter tunicam nerveam et villosam effusus esse videntur 2). — Saepe ventriculi membranae crassiores offendebantur. Subinde hepar solidius, tanquam coctum apparebat, nec raro superficies eius exterior colorem spadiceum exhibebat, dum pars eius concava lutesceret, crebro inflammationis vestigia in hoc viscere deprehendebantur. Auctore Sprengel iecur plerumque summo incendio correptum et duplo maius quam in statu normali apparuit; quod si scalpello incidebatur, sanguis fluidus nigricans profundebatur 3). — Cystis fellea modo minor, modo legitimae magnitudinis, modo vacua, vel ad dimidium, vel ad totum bile opaca, nigra, spissiori plena inveniebatur, modo etiam fel croceum continebat. Gross mirari videtur, se gravi in ictero ductum cysticum, hepaticum et choledochum incolumem invenisse 4). — Lien intumescit et iusto ma-

1) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 17.

2) Osgood l. c. p. 10.

3) l. c. p. 135.

4) Gross et Gerardin l. c. p. 20.

ior apparet; exulceratus interdum aut emollitus reperitur. Renes et vesica urinaria saepe inflammata inveniuntur. Pluries vesica urinaria dilatata, pluries coarctata observatur; hac in dilatata vesica Alphonso de Maria exiguam lotii turbidi, colore stramineo imbuti, copiam animadvertit, etiamsi aegroti ultimis diebus nullum lotium emisissent 1). Urinam nigram vidit Moultrie, Willan et Martin, aliique 2). — Haud raro etiam parietes vesicae crassiores animadvertuntur.

Omnes fere auctores post mortem substantiam atram, quae vomitu eiici solet, in ipso stomacho, vel reliquo tubo intestinali reperiebant; loco eius haud raro tamen colluviem flavidam, floccis badiis intermistam. Nonnulla quidem experimenta circa huius substantiae naturam instituta sunt, sed pauca nobis de ea innotuerunt; colligam, quae memoratu digna in compluribus scriptis legi: Ab initio substantia illa magis badia nominari debet et sensim tantum atro colore imbuitur. Plerumque cum aliis stomachi humoribus eiicitur, innatque iis tanquam crystalli aut flocci. Interdum indolem praebet causticam, affirmat autem Fürth: genuinum vomitum atrum materiam edere insipidam, odorisque fere expertem 3). — Ea de causa et ob ingentem copiam, quae evomitur, substantia illa bilis haberi nequit, accedit insuper, quod dum stomachus ea scatuit, bilis nonnullis in casibus haud-

---

1) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 82.

2) Cross et Gerardin l. c. p. 19.

3) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 16.

quaquam, et pluribus in exemplis, ut commemoravi, mutata reperiebatur; porro, linteum, huic materiae inmersum, nigro imbuitur colore; si autem demittitur, in bilem illam saepius opacissimam, ex flavido viridi colore infectatur. Nihilosecius Sprengel hanc substantiam bilem esse putat: „Im Unterleibe, inquit, nimmt jetzt die Galle einen höheren Grad der Verderbniss an, und wird schwarz, daher das schwarze Erbrechen 1).“ — Valentin hancce materiam atram ex sanguine oriri censet: „Cette matière, ait, . . . paraît être le produit du sang des vaisseaux gastro-épiloïques, gastro-hépatiques, vaisseaux courts et meséraïques, qui rampent et s'anasomosent dans les tuniques du ventricule et des intestins, par lesqueels il transsude, s'ouvre une issue, et s'epanche dans ces cavités où il subit bientôt une alteration et se carbonise pour peu qu'il y séjourne. C'est cette matière qui, se mêlant avec les sucs gastrique et intestinal, la bile, les humeurs pituiteuses ou bilioso-muqeuses, acquiret aussi cette sorte de tenacité poisseuse que l'on rencontre dans les cadavres.“ 2) — Sed dubitant nonnulli, an verus sanguis sit, quia linteum sanguine irrigatum, quam maxime depravato, colore rubicundo tingitur. Alphonso de Maria de ea instituit experimenta, quae par-

1) Sprengel's Beiträge zur Geschichte der Medicin. Bd. 2. p. 152.

2) Valentin l. c. p. 180.

tim utpote, probandi vi destituta, silentio praetermittam, partim autem allegabo: — Parva copia substantiae, recenter eiectae, cum aqua calcis, alia cum cinere clavellato miscebatur, sed nullam mutationem praebuerunt, quae acidum quoddam prodidisset; mercurio sublimato corrosivo examinavit eam, an alcali; ammonio an cuprum; tinctura lapidis haematitae, an aliquid adstringens; acido gallacico, an ferrum; cupro acetico, an ammonium ei inesset, quae omnia autem exprimenta nihil probaverunt; extracto saturni color eius lacteus evasit, quam ob rem calcariam sulphuricam ei inesse perhibet 1). J. Cathrall teste, qui pariter investigavit materiem atram ex magna aquae copia, particulis resinosis et mucosis intermista, ea consistit, ex acido quodam praevalente, quod nec est acidum carbonicum, nec phosphoricum, nec sulphuricum; sed acidum muriaticum esse opinatur, neque tamen affirmare audet; dein ex kali carbonico ferro, et substantia spermatis ceti simili. 2) Pugnet et Savarésy, laticem, in ventriculo versantem, cum acidis efferbuisse affirmant 3).

---

1) Gerson und Julius l. c. Bd. 2. Hft. 1. p. 83.

2) J. Cathrall, memoir on the Analysis of the black vomit eiected in the last stage of the yellow fever, Philadelphia 1800.

3) Savarésy l. c. p. 480.

§. 12.

Cura prophylactica.

Si quis in regionem vel urbem, febre flava infestatam, iter suscepturus est, omnes causas occasionales sedulo vitet necesse est; simulatque vero prima aegritudinis vestigia apparent, praesertim quo tempore vel grassatur febris, vel erumpere consuevit, medici est, protinus artis auxilia arcessere, ac eiusmodi homines, qui maximam partem iuvenes et robusti sunt, curae antiphlogisticae submittere, quippe quae agendi ratio magnam exhibuit utilitatem, et semper fere occurrit eruptioni. Auctores unanimi fere consensu istiusmodi praesidia commendant, v. c. M, Lean balnea frigida, venae sectiones et purgantia; Thomas in India occidentali militibus, qui prima valetudinis vestigia ostendebant, protinus calomelanis dosin cum magnesia sulphurica indidit, eoque modo propemodum semper febris ingressum cavit; Eymann balnea laudat frigida ac serum lactis tamarindinatum; Gilbert venae sectiones et laxantia suadet. Quum in laudanda prophylaxi antiphlogistica versari inceperim, non possum, quin exemplum memorabile, quod efficaciam eius testatur, proponam, cuius in opusculo ab Osgood conscripto, quod in vernaculam lin-

guam transtulit Heineken, mentio facta est: Ineunte M. Augusto, a. 1797, milites Batavi novem atque centum Port-au Prince devenerunt; habitus floridus, vestimenta incongrua, tempus anni infestum aliaque sortem funestam praenunciare videbantur, quae ipsos manebat; tota manus copiosis tractabatur venae sectionibus, alteroque mane laxantibus perpurgabatur. Licet nonnulli eorum febre flava afficiebantur, symptomata tamen minus atrocia erant, facileque sanguinis missione iteratae cedebant, ita ut ex illis 109, post qnatuor menses, duo tantum exstincti essent, quorum alter iam periclitabatur, quum navis oram appelleret. Navis, qua vehebantur isti milites, duos et viginti nautas praeterea numerabat, quibus nulla prophylaxis adhibebatur, quo evenit, ut post paucas hebdomadas octodecim eorum perirent 1). — Jonnés hanc prophylaxin eatenus tantum prodesse existimat, quatenus cutis incitabilitatem deprimat, quod quidem tutius vaporibus, quam remediis enumeratis obtineri posse arbitratur, quorum efficaciam maxime ambiguam censet 2). —

M e d e l a.

Primum curantis consilium adversus symptomata manifeste ininflammatoria dirigi oportet. Corporibus

---

1) Osgood l. c. p. 37.

2) Horn's Archiv u. s. w. Iahrgang 1820. Novbr. Decbr. p. 426.

iuvenilibus iisque firmis venae sectio largo conducat necesse est, cui opinioni fere omnes medici Americani adstipulantur, quippe qui nihil magis commendant, quam ut hisce indicationibus protinus a morbi initio satisfiat. Iackson, si inter primas, inquit, poroxysmi febrilis horas, simulac capitis dolor et vertigo accedunt, et priusquam pulsuum certa mutatio ingruit, sat sanguinis mittitur, vel morbus derepente solvitur, vel cursus eius ita mutatur, ut typum intermittentem aut remittentem adsciscat. Reese aegrotos post venae sectionem tranquilliores et cutem madidam evadere observavit; saepe etiam somnus contigit, ex quo aegroti in convalescentiae stadium transmittebantur. Veitch sanguinis missiones in regionibus borealibus non minus certum pleuresiae auxilium, quam in tropicis febris flavae praesidium exhibere asserit 1). Eymann, venae sectionum usum, ait, eodem momento, quo instituerentur, sese manifestasse: capitis artuumque dolores decreverunt, respiratio expeditior faciliorque evasit 2). Mature tamen sanguis detrahatur necesse est, siquidem stadium synochicum perbreve est. Persuasum fere mihi habeo, post tertium diem raro venae sectionem proficuam esse; tum enim signa humorum alienatorum sese expromunt, quapropter venae sectio relaxationem univarsalem liquorumque colliquationem accelerare debet. Iackson secundo die sanguinis missiones pro-

1) Osgood l. c. p. 45.

2) Hufeland Journal der prakt. Arzneikunde Bd. 15, St. 1, p. 136.

pemodum supervacuas esse observavit 1). Venae sectiones ab initio tantum morbi utiles existimans, Mortimer palam perlustrare solebat milites, et si quem tristem, oculis sordidis, lacrymantibus, de vertigine aut stupore conquerentem vidit, si pulsum tardum obstructionemque alvi animadvertit, protinus sanguinem ad animi deliquium usque detrahi curavit, dein laxans ex mercurio, et alternis horis Cort Chinae ℥ss indidit. 2) Vis sanguinis detrahendi neutiquam a pulsuum indole pendet, hi enim, sive sint pleni, sive duri, sive oppressi, nunquam symptoma exhibere debet, cui medicus obtemperet; verum potius ad atrocitatem atque diuturnitatem symptomatum, ad individuam aegri indolem, ad venae sectionis effectum, nec non aëris naturam haecce res conformanda est. Homines obesi minus patientes sunt venae sectionis, quam validi atque firmi. Tempestate calida et sicca Osgood missiones sanguinis salubriores, quam humida expertus est 3). Contrarium vero Eymann affirmat, cuius quidem experientia teste, aegroti tempestate pluviosa facilius quam arida copiosam sanguinis missionem sustinebant 4). In universum venae sectio larga ex ampla venae incisura robustis corporibus salubrior esse solet, quam detractiones parcae eaque repetitae, praesertim si morbus statim ab exordio cerebrum prae ceteris organis infes-

1) Osgood l. c. p. 44.

2) ibid. p. 46.

3) ibid. p. 48.

4) Hufeland Journal u. s. w. l. c. p. 136.

tat. Jackson 16 — 20 sanguinis uncias detrahendas, idque eo usque repetendum esse suadet, donec circuitus mutatus dolorque remissus sit. Stuart 70-80, Rush 100 — 160, Bornet ad 200, Peter Comrie intra triduum ad 250 uncias sanguinis sese detraxisse perhibent. Iterata venae sectio indicatur, si dolores post quatuor sexve horas persistunt, aut cum atrocitate recrudescunt, et ardor, aestus, sensibilitasque regionis gastricae parum remiserunt. Quibusdam vero in exemplis Osgood non solum parcas, verum etiam serius repetitas venae sectiones indicari iudicat, quod nominatim de iis valere dicit, quibus vires vitales pulsusque maxime collapsi sint. His in casibus detractiones exiguas primo die quater aut sexies repeti iubet, eamque venae sectionum iterationem non solum secundo die, verum serius etiam necessariam esse asserit. Aliquoties in febre chronica secundaria post vicesimum morbi diem uncias aliquot sanguinis cum fructu detraxit 1). His in casibus hirudines magis conducere, equidem crediderim, mihique persuaserim, usum eorum nonnunquam tutiorem esse iteratis venae sectionibus, etenim organismum minus infringunt, humorum alienationem minus accelerant, proptereaque periculi minus inferre queunt, si a medico parum versato in usum vocantur. Sed peritiores etiam medici hirudinibus efficaciam salutarem tribuunt, v. c. Osgood, Lind Mackittrick. Non omnes autem auctores sanguinis detractiones tanquam salutares vindicant; multi

---

1) Osgood l. c. p. 49.

enim effectus earum perniciosos se vidisse contendunt, uti Valentin, qui nunquam venam incidit, licet indicatio prostaret; etenim venae sectio, sua ipsius experientia teste, neque stimulum abdominis morbosum commodo derivabat, neque haemorrhagias cavebat, sed debilitate potius adaucta actionem vitalem mox frangebat, etc. Gross et Gerardin venae sectio, inquiunt, non semper medici desideriis respondit, licet enim per momenta incitatio universa deminueretur mox tamen prostratio virium incidit, exitumque funestum maturavit. Eosdem experientia docuit, venae sectionem generatim noxiis stipari effectibus 1). Constat etiam Francogallos omnino et Hispanos venae sectionibus parum favere; in epidemia, quae Gadibus a. 180[illegible] grassabatur, sanguinis missiones in universum noxam intulisse traduntur. — Methodum antiphlogisticum non solum venae sectionibus adstringi oportet, sed reliquus etiam apparatus antiphlogisticus in auxilium est vocandus. Alvus utplurimum obstructa clysmatibus refrigerantibus est solvenda et laxantia protinus post venae sectionem per os ingerenda, ab auctioribus necessaria perhibentur. In insulis Antillis Anglorum Calomelas huic scope adaptabatur, saepeque ingentes eius doses exhibentur. In Tortola insula aegrotus quidam 1100 grana citra salivationem hausit; alius in Port - Royal grana 2500 sumsit, priusquam glandulae salivales afficerentur. Iohn Tod grana 500 calomelanis et uncias octo unguenti hydrarg. ciner. nullam fere efficaciam exserere observavit. — Chisholm

1) l. c. p. 21.

aegroto intra quinque dies 5704 grana calomelanis optimo cum eventu indidit; alius ternis horis grana 20 et postremo bis grana 60 quotidie exhibuit, aegrumque salvum praestitit. Observationes docuerunt, mercurium ad salivationem datum, praecipue efficacem se praestitisse. At vero ne hoc quidem de remedio conveniunt medici; sic ut enim Chisholm fere specificam vim ei tribuit, ita Valentin usum eius ex toto repudiare videtur; methodi enim mentionem facit, quam medici Americani Anglicique in adhibendo mercurio sequuntur, tantum vero abest ut laudis quidquam ei largiatur ut efficaciam potius detrectet 1). Goodison etiam effectus tantum damniferos eius se expertum esse tradit. — Alia porro antiphlogistica v. c. cremor tartari, ol ricini, pulp. cassiae, tamarindorum variaque salia media saepenumero proficua se praebuerunt. Vomitoria quoque hoc in stadio cum fructu oblata sunt. Osgood emeticum indicatum esse perhibet, si mucus atque bilis diu copioseque eiiciantur, quibus substantias putridas in superiori intestinorum parte significari dicit, ubi iam laxantia solidiora propinata sint 2). In epidemia a Reese observata protinus post venae sectionem primum emeticum ex calomelane et tartaro emetico, serius dein laxantia mercurialia porrigebantur. O'Halloran vomitoriorum ope felicem eventum in ea febris flavae modificatione sortiebatur, quae, ut ipsi videtur, statim ab initio

1) l. c. p. 184.

2) l. c. p. 52.

systema nervosum subigit. Inter initia senis horis dosin turpethi mineralis exhibuit, quamdiu materies quaedam pituitosa, subpellucida, nigricans evomebatur, quae vero cum vomitu atro peculiari neutiquam confundenda est. Simul alvum continuo laxavit indito calomelane 1). Quod ad tempus pertinet, quo emeticum dari convenit, equidem cum Reese consentio; sin minus contingat, ut larga venae sectione ventriculi incendio occurratur, vomitorium summopere noceat necesse est, cui quidem rei non satis pensitatae adcribendum esse illud arbritor, quod emetica apud Francogallos malam sibi famam pepercerunt. Evacuationibus pro corporis habitu morbique gradu rite administratis, post primam febris remissionem, sicca scilicet ardentaque cute, balnea frigida conducunt, quibus Dickson aëris frigidi perflatum, ut salutarem addit 1). Dein vesicatoria, quae quidem opinione variorum medicorum variis locis admoveri possunt. Equidem, gastritide idoneis venae sectionibus vitata sive diminuta saltem, regioni gastricae imponenda censeo, qua scilicet rationi vomitum subsecuturum, nisi prorsus praepediant, certo tamen haud mediocriter infringunt. Si nihilominus procedente morbo vomitus vehemens continuusque incidit, potio Riveri experientia teste, proficua est. Dr. Iroine, Carolopolitanus, saccharum Saturni laudat, quod ventriculi sensibilitatem compescat. Balnea calida, pauxillum laudani cum

---

1) Gerson und Julius Bd. 2. Hft. 1. p. 74.

2) Osgood l. c. p. 57.

aqua Menthae ventriculi sensibilitatem subinde eo usque depressit, ut post unam alteramve horam ab illis medicamentis alia remedia citra vomitionis metum possent exhiberi. Sensibilitate ventriculi ad eum gradum detrusa, ut aeger cibos et medicamina hausta maximam partem contineat, opinione plurimorum medicorum ad Chinae usum properandum est. Infusum eius frigidum, extractum et decoctum maxime commendantur. Quae si ab aegroto non sustinentur, quotidie clysmato tria quatuorve, ex illo cortice parata, applicari, cataplasmata ex China superimponi aut tincturam infricari oportet. Quando autem irritis hisce conatibus, icterus apparet, balnea calida continuanda, laxantia leviora ad alvum obstructam indenda, simulque infusis levioribus theiformibus, spiritu Mindereri etc. ad movendam cutis transpirationem lotiique secretionem utendum est. Ubi morbus ab initio magis cerebrum corripuit, aegrotusque statu comatoso detinetur, superfusiones aquae et cataclysmi profuerunt. Sin status iste in deliria furibunda abit, haecce novissime dicta continuanda, moxa applicanda, vesicatioria capiti superimponenda, aut cauterium actuale in usum vocandum est, quo Valentin verticem et occiput prospero cum successu adussit 1). Singultu aliisque spasmis supervenientibus, Camphora cum Opio aliisque irritantibus volatilibus v. c. spiritu nitr. dulc., liquore anod. min. Hoff. etc. detur necesse est. — Si sanguis ex variis corporis ostiis prorumpit, isque solutum apparet, Chinae usus contiuuandus, vel in eius lo-

1) l. c. p. 221.

cum Angusturae cortex substituendus est. Alumen vel in pulvere, vel in solutione, aliquoties magnam praestitit efficaciam, acidisque mineralibus et vegetabilibus his in casibus locus est. Accedente vomitu atro, Osgood secundum methodum, quam Rush commendat, aequalibus lactis et aquae calcis partibus eiusmodi aegrotis multum levamenti attulit. Dr. Dorsey aegrum largis spiritus frumentacei et alcali volatilis dosibus vomitu atro liberavit; Dr. Physik eundem vomitum 10 guttis spiritus Terebinthinae cum aliquantillo syrupi aut olei dulcis coercuit; Osgood eum rad. Columb. scrp. 1 Castorei scrp. ½ acid. muriat. gut. 10 et pauxillo aqua Menthae, quaternis horis ingestorum debellavit 2). — Dr. Drummond, in Iamaica insula, ut vomitum atrum compesceret, pilulam ex piperis Cayennensis gr. 3. cum aliquantulo mucilaginis paratam indidit, eodemque tempore calomelanis usum continuari iussit.

William Wright Capsicum annuum magnis extulit laudibus, minus enim calefacere asserit pipere Cayennense, ideoque facilius in usum posse vocari 3). Nec minus Osgood, nonnullos, ait, medicos Indiae occidentalis vomitum atrum pilulis ex Capsici annui gr. 3, pulticula involutis, ne faucium ardorem moverent, propulisse. Harum pilularum ternis quaternisve horis una aegrotis offerebatur 1). Quodsi, hac via vomitus ater coercetur atque deliria convulsionesque sopiuntur, con-

1) l. c. p. 60.

2) Valentin l. c. 211.

3) l. c. p. 60.

valestentiae stadium iusta cum observatione tractandum est. Osgood magno cum fructu infusum Cascarillae cum tinctura Valerianae volatili, tinct. castorei et mixtura camph. exhibet. China etiam, Angustura et Columbo hunc ad scopum a multis laudantur. Medicum quam maxime dispicere oportet ne reversionem faciat morbus, quippe quae funestiorem habere consuevit exitum quam morbus ipse. Eiusmodi reversiones, facillime ex victu incongruo nascuntur, et saepenumero Laso ex frustulo carnis etc. eas oriri observavit 2). Propterea maximi momenti est, ut medicus diaetam idoneam administret. Inter primordia morbi potus frigidiusculi aciduli conducunt, e. g. ex succo limoniorum, sero lactis, Sago, vino aptae sunt, a quibus ad iuscula carnis, ad cerevisiam bene fermentatam, nec tamen valentiorem transitus faciendus est. Valentin quoque brevi ante coenam cochlear decocti Chinae aut infusi Serpentariae cum elix. Huxham. indidit aegris 2). Ubi solutionis humorum signa offeruntur, vinum potusque acidi porrigantur, ac serius demum cibi faciliores concoctu, magisque nutrientes aegroto indulgeantur, e. g. iuscula carnis, vitello ovi connupta. Transitu isto successivo hac saltem ex parte aegrotus a reversionibus tutus praestatur.

---

1) Gerson und Juliue Bd. 1. Hft. 1. p. 49.

2) l. c. p. 223.

I.

Liquor amnii foetus nutritioni haud inservit.

II.

Pulmones irritabilitate gaudent.

III.

Metastasis lactea non existit.

IV.

Carditis et Pneumonia nullo signo pathognomonico inter se discrepant.

V.

Signum pathognomonicum, quod Rheumatismum ab Arthridite distinguat, non existit.

CURRICULUM VITAE.

Ego Friedericus Christophorus Bartholomaei, Bremanus, natus sum d. 5. mens. Februarii, a 1799, a patre Adolpho Friderico, mercatore. — Anno aetatis octavo nondum transacto, pater optimus me misit Verdam, imperii Hannoverani oppidum, in paedagogium a Dr. Wallis, Viro sumopere colendo, institutum, ubi quinque per annos iis erutidus sum, quae puer discere debet. Paedagogio relicto, usque ad annum 1813 frequentavi Gymnasium, quod Bremae floret et tum petii Ieveram, Ducatus Oldenburgensis oppidum, ut in officina Viri praeclari Sprenger, principi a consiliis ccmmissionum, cui in quinquennium tironem me obstrinxi, artem pharmaceuticam ediscerem. Quum autem altiora humanitatis studia prosequendi consilium mente concepissem, ad condiscendas linguas veteres me accingere posse animum, haud abnuit humanissimus magister, et tirocinio superato, in primam classem Gymnasii Ieverensis, quod floret sub auspiciis Rectoris doctissimi Hollmann, sum receptus. Anno 1818, mense Octobri ad almam Universitatem Fridericianam Halensem me contuli, ut medicinae operam navarem et a Prorectore Magnifico Ill. Gruber numero civium academicorum sum adscriptus, ibique per biennium et semestre hisce interfui praelectionibus: Cel. Gerlach de Logice, Cel. Maass de Psychologia, Cel. Nitsch de Entozoologia, Cel. Düffer de Chemia theoretica et experimentali, nec non de historia naturali corporum in medicina usitatorum, Cel. Sprengel de re herbaria, Pharmaco-

logia nec non de arte fomulas medicas conscribendi. Cel. Meckel de Anatomia normali et pathologica aequae ac de Physiologia, qui etiam furnera secandi artem me docuit, Cel. Dzondi de Chirurgia nec non de Ophtalmiatrice, Clar. Krukenberg de universa Pathologia et Therapia, Clar. Niemeyer de artis obstetriciae theoria. Per annum etiam frequentavi clinicum medicum, cui Clar. Krukenberg praeest, per semestre autem clinicum chirurgico-ophthalmiatricum, a Cel. Dzondi institutum. — Nomina Virorum illustrissimorum, qui Berolini medicinam docent, me impulerunt, ut anno 1821, Berolinem peterem, ubi a Prorectore Magnifico Ill. Lichtenstein d. 28. mens. Aprilis in civium academicorum numerum receptus et hucusque his praeceptoribus, maxime reverendis, gavisus sum: — Cel. Kluge artem fascias rite imponendi me docuit; Duce Ill. Rust et Cel. Kluge omnium operationum chirurgicarum cursum audivi; Encheireses in phantomate exercui duce Ill. de Siebold, eiusque exercitationibus clinicis medicis obstetriciis interfui. Per semestre frequentavi clinicen chirurgicam et ophthalmiatricam, quam moderatur Ill. Graefe; per semestre quoque exercitationes clinicas, quas regit Ill. Rust in instituto clinico nosocomii Caritatis chirurgico et ophthalmiatrico. Sub auspiciis Virorum Ill. Rudolphi et Knape theatrum anatomicum, et quas regit Ill. Hufeland, exercitationes clinicas medicas diligenter adii.
